



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

De processione spiritus sancti iuxta subsequens capitulum Esaiaë, non
fitierunt in deserto cu[m] educeret eos, aqua[m] de petra p[ro]duxit eis, &
scidit petra[m] & fluxuerunt aquæ, & de uoce ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

De processione spūs sancti iuxta subsequens capitulum Eiaie, non fuerunt in deserto cum educeret eos, aquam de petra produxit eis, & scidit petram & fluxerunt aque, & de voce exultationis qua istud iubemur annuntiare.
Caput XVII.



Alibet aliquantulum progredi pro tenore propositi, ut principio conueniens reddatur finis huius operis de glorificatione Trinitatis, & processione spiritus sancti. Vbi dixit: et nunc dominus misit me & spiritus eius, paucis interpositis ait: In uoce exultationis annunciate, auditum hoc facite, afferte illud usque ad extrema terræ. Dicitur: Redemit dominus seruum Iacob. Non fuerunt in deserto cum educeret eos, aquas de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aque. ¶ Petra nanque ista domus ipsa est, de qua loquebamur, templum domini: ci corporis est, de cuius resurrectione sermo nobis habebatur. De quo & alius Propheta: Vidi (inquit) aquam egredientem de templo à latere dextro. Et omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt. Et hic & illic, aqua singulari numero spiritus sanctus est, ea gratia qua datur in remissionem peccatorum: Et aquæ plurali numero idem spiritus est, ea gratia qua datur in diuisiones gratiarum. Huiusmodi aquam siue aquas de petra (inquit) produxit eis, quia spiritus sanctus aqua uiua, quam qui biberit non sitiet unquam, sed fiet in eum fons aquæ salientis in uitam æternam: nimirum ut de patre, sic & de filio procedit. Cuius in figura cõtingit, qd petra percussa in deserto, aquam sitienti populo dedit uel fudit. Vnde & Apostolus: Bibebant autem de spirituali conueniente eos petra. Petra autem erat CHRISTVS. ¶ Vox exultationis inquam annunciate (inquit) & auditum hoc facite, afferte illud usque ad extrema terræ. Vox (inquam) prædicatio est exultationis Euangelij. Vnde & nomen accepit ut uocaretur euangelium, quod interpretatur bonum nuncium, quia ueraciter magna exultatio, magnum & uerum in isto nuncio est gaudium, cuius uidelicet nunciij. Summa hæc est, redemit dominus populum.

Esa. 46.

Aqua de petra spūs s. de filio quoque procedens. Ezech. 47

Esa. 48. Iohan. 4.

Num. 20. I. Cor. 10. Esa. 48. Vox exultationis, uox euangelij.

Quod huius manufactæ domus dedicatio fuerit illius veteris & manufactæ abdicatione, secundum illam Eiaie uisionem qua clamantibus Seraphim, sanctus, sanctus, sanctus dominus deus, domus impleta est fumo.
Caput XVIII.



Sandem & illud sciendum, quia huius non manufactæ domus dedicatio, illius manufactæ est abdicatione: quemadmodum & Apostolus testatur, dicens: Reprobatio quidem est præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. ¶ Ipsam, quam dicimus abdicationem, fumus ille significabat, quem uidit Eiaias: Clamabant (inquit) Seraphim alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus exercituum: plena est omnis terra gloria tua eius. Et commota sunt super liminaria cardinum à uoce clamantium, & domus impleta est fumo. Sic enim futurum erat, & sic factum est, quemadmodum hæc sacra prænotauit prophetia. Sedente domino super solium excelsum & eleuatum, id est, postquam dominus dei filius ascendit in cœlum, & sedet à dextris dei, quod nimirum solium est excelsum. Seraphim, quod interpretatur ardentis siue intendentes, ter sanctum dominum clamauerunt, id est, sancti Apostoli afflatus spiritu sancto per speciem ignis (ut iam supra dictum est) sanctam trinitatem prædicauerunt, & ecce gloria prædicationis huius, terra plena est. ¶ Et si sensus alius esse potest, nihilominus tamen hic uerus est, & ad rem magis pertinet. Dicit enim in euangelio suo Iohannes. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eiaias. Excæcauit oculos eorum, & indurauit eorum cor, ut non uideant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Statimque subiungit: Hæc dixit Eiaias, quando uidit gloriam eius, & loquutus est de eo. Ecce locus ubi hæc loquutus est Eiaias: immo spiritus sanctus in Eiaia: Vbi enim præmissum est, & domus impleta est fumo. ¶ Postmodum sic scriptum est: Audite audientes me, & nolite intelligere, & uidete uisionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus audiat & corde

Heb. 7

Esa. 6.

Iohan. 12. Esa. 6.

Uisio de sede te sup solium excelsum, prophetia de ascensione Christi & corde